






DE  
**AESCVLANO**  
 FODINARVM METALLICARVM  
 DEO  
 PRAEFATVS

---

AD  
 AVDIENDAS  
**ORATIONES**  
 OBSEQUIOSE  
 INVITAT

*M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.*




---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XXV.



**M**ulti olim a superstitionis idolorum cultoribus in deorum numero habiti fuerunt, quorum originem vel ipsi omnino ignorabant, vel certe inter dubia opinionum diuortia fluctuabant. Postquam enim a Romanis tot nationes peregrinae ac barbarae armis domitae, suoque imperio subiectae erant, fieri non poterat, quin cum iis multi dii peregrini Romam adducerentur, et cultu religioso exciperentur, imprimis, quum *Roma*, (sunt verba AVGVSTINI a) *desperaret, paucos deos sufficere ad optitulandum granditati suae.* Quo nomine MINVCIVS, FELIX, b) orator apud Romanos insignis, et totus in destruendis profanorum hominum erroribus occupatus, ita eorum impietatem exagitat; *numina victa venerantur, dum undique deos hospites quaerunt et suos faciunt, tum aras exstruunt etiam ignotis numinibus.* Ante eum vero TERTVLLIANVS, non minus strenuus doctrinae purioris aduersus idololatrias propugnator, his verbis grauitur in cultum talium deastrorum inuehebatur: c) *inuenio plane ignotis diis aras prostitutas: sed Attica haec idololatria est: itemque incertis diis: sed superstitio Romana est.* Quemadmodum hic autem procul dubio ad aram illam ἀγῶνα θεῶ i. e. deo ignoto Athenis positam, et a Paulo commemoratam, d) digitum intendit: ita copioso commentario hoc argumentum viri celeberrimi, IO. ALB. FABRICIVS, e) IO. CHR. WOLFIVS, f) et multi alii g) sunt persequuti.

Ad huius igitur generis et ignotae originis deos etiam deum, fodinis metallicis et opibus subterraneis praefectum, AESCVLANVM, referendum esse, nemo, opinor, inficias ibit. Licet enim huius dei nomen tantum non omnes, qui de numinibus gentium profanarum commentitiis exposuerunt, commemorent, illique vim ac facultatem metalli e secturiis aerariis comparandi tribuant: originem tamen et patrem eiusdem silentio omnino praeteruehuntur, haud obscure subindicantes, ad obscuros atque incertos deos hunc Aesculanum pertinere.

Quam incertae autem huius dei origines sunt, tam certum est et extra omnem dubitationem positum, diuino eum cultu olim adfectum fuisse. Namque veteres non ignorabant, quanta vis, quanta dignitas, et quantus usus esset aeris, auri, atque argenti in vita humana: eaque de causa etiam metalla in tanto

a) de Ciu. Dei. III, 12.  
 Marcion. L. I. c. 9.  
 Antiquar. p. 296.  
 g) in Symbol. litterar. Brem. T. I. p. 13.

b) in Octav. Cap. VI. 4.  
 d) Aët. XVII, 23.

e) aduers.  
 Bibliograph.  
 f) Cur. Philol. et Critic. in Aët. p. 1264.

tanto pretio habebant, ut religiosa veneratione ea prosequi non dubitent. Et si, quod PRVDENTIVS canit, homines profani

*Quicquid humus, pelagus, caelum, mirabile gignunt,  
id duxere deos; h)*

si, quod CICERO ait, i) *ii omnes dii sunt habitati, à quibus magna utilitas ad vitae humanae cultum redundat; facili negotio intelligimus, cur Aesculanus deorum numero fuerit adscriptus. Neque Aesculanus tantum honore isthoc dignus iudicatus fuit, ut religiose ab iis coleretur, qui pecuniae seruiebant; sed ipsam etiam Pecuniam inter Numina relata fuisse, memoriae proditum legimus. Quum enim huius ea sit amplitudo, ut ab HORATIO regina rerum k) adpelletur, et cuncta ad se ducere videatur, l) à PETRONIO autem ita describatur: m)*

*Quisquis habet numos, secura nauigat aura,*

*Fortunamque suo temperat arbitrio.*

*Multa loquor. Quicquid numis praesentibus opta;*

*Eueniet: clausum possidet arca Iouem:*

nemo fere mirabitur, Pecuniam pro Dea habitam et cultam fuisse. AVGVSTINVS certe mentionem illius facit, n) de hominibus profanae superstitioni mancipatis disputans, qui eo consilio huic deae sese commendant, ut numis abundant. Neque eam IUVENALIS ignorauit, hoc mirans, quod templo careret apud Romanos: o)

*Pecunia templo*

*Nondum habitas, nullas numorum ereximus aras,*

*Vt colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus etc.*

ARNOBIVS autem, qui a superstitione idololatrica ad sacra Christianorum transierat, auiti cultus studiosos his verbis irridet: p) *quis deam pecuniam esse credat, quam veluti maximum numen vestrae indicant litteras donare annulos aureos, loca in ludis et spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, et, quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium.* Et quoniam ex auro atque argento nobilissima pecunia conficitur, etiam in his aliquid diuini inesse, adfirmabant. Ex multis testibus audiamus MENANDRVM:

*Ego*

h) Contr. Symmach. L. I.

i) de Natur. Deor. L. I.

k) L. I.

Ep. VI.

l) id. Carm. L. IV. Od. 19.

m) in Satyric. p. 103.

n) de Ciu. Dei IV. 21. 24. VII. 4.

o) Satyr. L. 113.

p) aduers.

gent. IV. p. 132.

Ego utiles vero deos esse arbitror  
 Nostror, et Argentum et Aurum maxime:  
 Istos quidem, si dedices tua in domo,  
 Quicquid voles, roges, tibi omnia aderunt,  
 Ager, domus, seruique et argyromata,  
 Testes, amici, iudices, etc.

Eadem de causa aes dignum videbatur, a quo singulare nomen deus Aesculanus sortiretur, de quo AVGVSTINVS, q) GVIL. BVDAEVVS r) IOD. BAD. ADSCENSIVS, s) et ANT. DE GVEVARA t) exponunt, ei que non tantum praesidium fodinarum metallicarum, sed etiam potestatem homines collocupletandi adscribunt. Quum enim viderent, non sine fumino vitae periculo abditos terrae recessus penetrari, ubi fossor, ut SILIVS ITALICVS u) loquitur,

*visceribus lacerae telluris mergitur imis,*  
 aut, ut AL. DONATI horum operariorum difficillimos labores depingit, ubi w)

*Raptores horror latebris et inane profundis  
 Cingit, et aeterno nox adoperta gelu;  
 Et turba, imponens terrarum pondera dorso,  
 Effodit ante suam semisepulta necem;*

quum porro cognoscerent, illud aes, ex secturis protrahendum, neque feri humana cura, neque plantari: diuinum aliquid numen comminiscabantur, cuius potentiam non minus in formandis metallis, quam tutelam in protegendis fossoribus summa cum religione venerabantur.

Romani quidem alios deos complures, montibus praefectos, et inter eos nominatim Panem, Faunum, Silvanum, Montinum, Iugatinum, Oreades, etc. colebant. Aesculanum autem in horum censum relatum fuisse, auspium legimus. Illis nempe non nisi eam curam et custodiam montium tribuebant, quae beneficia externa et in aprico posita continet; hunc vero munera montium interna, scilicet venas metallorum fertiles, praesidio et gratia complecti, statuebant. Quamvis autem beneficia, quae ex intimis telluris et montium visceribus eruuntur, haud minoris pretii esse videntur, quam ea, quae super iugis montium nascuntur, omnium fere oculis exposita; negari tamen non potest, multo nobiliores et cultu ornatiores olim

q) l. c. r) de Ass. L. V. p. 748. s) ad Budaeci l. c.  
 t) Horolog. Princip. p. 38. u) de Bell. Pun. L. I. 232. w) L. III.  
 Eleg. 9.

olim fuisse deos montanos, quam deos metallorum praesides, et nominatim Aesculanum.

Hunc vero *Aesculanum*, perinde ac locum publicis pecuniis destinatum, *Aerarium*, ab *aere* nomen traxisse, nemo poterit diffiteri. Quod genus metalli quam diligentissimus naturae venator, PLINIVS, copiose et luculenter descripserit, x) plura iam non addo, praeter hoc unum, quod olim aes ceteris metallis palmam praeripuerit. Audiamus de eo T. CAR. LVCRETIVM: y)

*Olim erat in pretio magis aes, aurumque iacebat,*

*Propter inutilitatem hebeti mucrone reusum.*

*Nunc iacet aes, aurum in summum successit honorem;*

*Sic voluenda aetas commutat tempora rerum.*

Accedebat alia causa, quae veteres permouit, ut ab aere deum augendae pecuniae Aesculanum adpellarent. Mirificam quippe vim huic metallo eos tribuisse, testis est LIVIVS, haec narrans: z) *disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu lunae, silenti nocte, feri solet, edidit clamorem, ut auerteret etiam pugnantium animos.* Quibus ex verbis intelligimus, homines profanos in ea fuisse sententia, quod lunae laboranti, facto aeris timitu, possit subueniri. Eadem OVIDIVS confirmat, canens: a)

*Quum frustra resonant aera auxiliaria Lunae:*  
et alio loco: b)

*Te quoque, Luna, traho, quamvis temerata labores*  
*Aera tuos mimuant.*

Testem etiam PLVTARCHVS praestat, ubi, *luna*, inquit, *obscurari ea nocte coepit, ac deficiente lumine, multisque coloribus mutata, tandem nusquam adparuit, Romanis, ut consuetudo est, timitu aeris lumen eius reuocantibus.* c) Idem metallum facultate valere et homines excantandi, et morbos vel deliniendi, vel depellendi, veteres sibi persuadebant. Hac mente VIRGILIVS: d)

*Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aheni*

*Pubentes herbae nigri cum lacte veneni.*

Quid? quod aeris sono inferorum umbras in sacris Lemuralibus exturbari posse, persuasum haberent; de qua potentia OVIDIVS: e)

*Et rogat, ut testis exeat umbra suis,*  
*concrepat aera,*

Itaque

x) Hist. Nat. L. XXXIV.

y) De rer. natur. L. V. 1273.

z) ab V. C. Lib. XXVI.

a) Metamorph. L. IV. 333.

b) ibid L. VII. 207.

c) in Paul. Aemil. p. 135.

d) Aen. IV. 514.

e) Fast. V. 441.

Itaque satis caussae Romani habebant, cur reliquis metallis aes praerferrent, deumque Aesculanum ab illo nuncuparent.

Augebant hoc aeris pretium numi ex hoc metallo, antiquissimo tempore proculsi. Tenendum tamen, non statim ab urbe condita Romanos signato aere, sed rudi, ad vendendum et emendum usos fuisse. Nam Servius Tullius, regum sextus, aes prius signari iussit; cui argentum quinque annis ante primum bellum Punicum successit, et interiectis LXI. annis demum aurum ad eam dignitatem pervenit. f) Qua cum vicissitudine signatae apud Romanos pecuniae ERYCIVS PVTEANVS mores populi permutatos, his usus verbis, concinne confert; g)

*Aere rudi primam numeravit Roma monetam:*

*Aerea tum virtus, aurea Roma fuit.*

*Mollior argenti succedens vena viriles*

*Dissoluit mores: aerea Roma fuit.*

*At auro postquam vitiorum copia crevit,*

*Incidit in scoriam: ferrea Roma fuit.*

Et quidem Servius ille in aere signando primum pecudis imaginem exprimi iussit, coque novae monetae pecuniae cognomen comparavit. Quod institutum nemo fere mirabitur, qui novit, alios populos eandem consuetudinem servasse, et nominatim Athenienses bovem, Corinthios pegalum, Tarentinos delphinum, Peloponnesios cochleam, Dardanos gallum, Rheginos leporem, Cephalonios equam, Argivos murem suis in numis retulisse; quod CLAVD. CHIFLETIVS pluribus ostendit. h) Imo ipsi Hebraei his faciem praetulisse videntur; quandoquidem מִשְׁכָּה, cuius mentio Gen. XXXIII, 19. Ios. XXIV, 32. Hiob XXXII, 11. occurrit, et agnum notat, et numum agno insignitum. Quae sententia de pecuniae etymologia quamvis sit tritissima et vero simillima; non tamen desunt, qui aliter sentiunt, a pecude quidem pecuniae nomen derivantes, sed hanc caussum denominationis interferentes, quod veteres in vendendo atque emendo permutatione mercium, praecipue autem pecoris, usi fuerint, i) Quo sensu IS. CASAVBONVS k) Graecorum verba emendi, ἀργυροι, ἀνεμοι, πωλεω, etc. ita explicat, ut illud ab ἀριος derivatum, significet, dato agno, illud ab ὄνος deductum, dato asino, hoc, a πωλος, dictum, dato pullo, aliquid permutare. Et pretium quidem pecudum PLVTARCHVS his verbis aperit; *ovis decem obolis valebat, et bos centum.* l) Eo igitur opulentior

f) *Plin.* H N. L. XXXIII 3.

*Numisin.* Cap. VI.

*Attic.* L. I.

g) De pecun. Rom. c. X.

i) *Institut.* §. 10. de Emt. vend.

l) in vit. *Poplicol.* p. 103.

h) de *Antiquit.*

k) ad *Cicer.*



lentior olim aliquis habebatur, quo maiore pecuniam copia abundabat. Cuius rei testimonia cum ex sacris litteris, ll) tum ex scriptoribus profanis m) locupletissima adferri possunt. Imo pro muneribus ante nuptias erogandis pecudes dare veteres consueverunt. n) Ex quibus iam disputatis OVIDIVS ita colligit: o)

*Caetera luxuriae nondum instrumenta videbant;*

*Aut pecus, aut laetam diues habebat humum.*

*Hinc etiam locuples, hinc ipsa Pecunia dicta est etc.*

Quemadmodum vero, ut vidimus, aes signatum, intermisso temporum intervallo, argentum excepit: ita facile intelligimus, cur homines profani Aesculani filium fecerint *Argentinum*. Id quod disertis verbis AVGVSTINVS testatur, quum, *ideo*, inquit, p) *patrem Argentini posuerunt Aesculanum, quia prius aerea pecunia in usu esse coepit, post argentea Mirror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum*. Quae MORERIVS repetit verbis parum immutatis: q) *AESCVLANVS, une diuinité, que les anciens avoient associé à Argentinus, tirant leur nom de l'airain et de P argent, dont on faisoit la monnoye, croians, qu' ils avoient le pouvoir d' augmenter les biens et de donner des richesses*.

Talem igitur sententiam Romani de deo habebant, fodinis metallicis et opibus inde eruentis praeposito, qualis expectari poterat ab hominibus caecae superstitioni immerfis. Nos autem, quae diuina est gratia, rectorum sentientes, Deo immortali immortales gratias agimus, qui non solum opes in venis telluris metalliferis incredibiles identidem auget et amplificat, sed eos etiam, qui in protrahendis his diuitiis elaborant, potenter protegit et diuino praesidio tuetur.

Habet profecto Freiberga nostra in primis, de quo per tot saeculorum decursus iure atque merito gloriatur. Quanta enim aeris copia iam longo abhinc tempore ex latebris in apricum protracta fuit, eam non Aesculano, sed aeterno caeli terraeque opifici acceptam esse referendam, aperte confitetur. Cuius beneficii ut pia ac religiosa recordatio multorum oculos incurrat, hoc, quem nunc agimus, anno iubilaeco, sollennem eorum limitum illustrationem instituit, quibus fodinae discriminantur, ut possessoribus sua iura denuo confirmentur.

Et quoniam memoriae gloriosissimae elector Sax. AVGVSTVS de hac urbe praeclare meruit, quippe in qua non solum vitalem lucem adspexit,

ll) Gen. XIII, 2. XXIV, 35. XXVI, 14. Hiob. I, 3. m) Homer Iliad. Y. 220. E. 710. Theocrit. Idyll. XVI, 36. XXV, 24. Pindar. Pyth. Δ. 263. n) Homer. Odyss. Θ. 318. O. 366. Iliad. Δ. 244. Mosch. Idyll. V. 32. o) Fast. V. 280. p) l. c. q) Grand Dictionnaire historique p. 67.

spexit, r) sed scholam etiam publice frequentavit, s) et quæ multis iisque insignibus beneficiis ornavit, atque adeo in deliciis habuit, ut numis sua ætate cufis, Freibergæ nomen adscribi pateretur; ab hoc instituto alienum visum non fuit, huius generis numum, qui tertiam partem thaleri Ioachimici exæquat, in fronte huius scripti exprimere, præsertim, quum TEN-ZELIVS in Saxonia sua numismatica eam prætermiserit.

Hoc loco campus longius excurrendi spatiosissimus nobis aperitur. Sed instituti ratio vela contrahere nos iubet, et id adgredi, quod occasionem huius scriptionis subministravit. Tres nempe iuvenes, tam Parentum gloria et meritis, quam ingenii præstantia, et morum concinnitate commendabiles, qui adhuc in castris Mularum haud invita Minerva militarunt, altiora nunc adspirantes, in eo sunt, ut scholam cum academiâ permulent. Ut ne vero pietatis et honestatis leges migrent, ante, quam à nobis discedant, publicum diligentiae et officii specimen edere constituerunt. Et quia animum ad studium iuris et legum ciuilium bono cum Deo adpulerunt, argumenta etiam orationum suarum elegerunt, huic studiorum generi admodum, Initium faciet

CAROL. FRIDER. RICHTER,

*Geyßinga - Misn.*

sermone Gallico *de legum antiquitate* expoliturus. Hunc excipiet

IO. GOTTFR. KAVPISCH,

*Colditz, Misn.*

qui verbis Latinis heroicis *dignitatem legum* persequetur. Porro

CAR. GOTTFR. ZILLIGER,

*Frauenstein - Misn.*

oratione Gallica *de utilitate legum* verba faciet. His ad extremum in amicitiae tesseram bona verba accinet

*Maurit. Christian Engel, Chemn.*

carmine germanico *Astracam in terras reuocatam* decantaturus. Hi igitur academiæ candidati uberrimum fructum ex suis laboribus scholasticis ad se peruenisse, existimabunt, si Vos, PATRONI atque FAVORITES, cras, hora ante meridiem nona, ad auscultandas ipsorum orationes in acroterio superiori scholæ nostræ conueneritis, atque id, quod beneuolo vultu pollicemini, audiendi facilitate comprobaueritis. Quod dum ego, interpres meorum commilitonum, à VOBIS honorifice atque obsequiose peto, ex Vestra præsentia longe gratissima nouam alacritatem discendi iuventuti scholasticæ generatum iri, confido. P. P. *Freiberg,* postrid, Calend, April. A. R. S. MDCCL,

r) *Moller, Annal. Freiberg. p. 183.*

s) *Moller. Theatr. p. 293.*

Yb 627

(1/80)


ULB Halle  
002 103 591 3



TAJOL








25

DE  
AESCVLANO  
FODINARVM METALLICARVM  
DEO  
PRAEFATVS

---

AD  
AVDIENDAS  
ORATIONES  
OBSEQUIOSE  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.



---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XXV.

